



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Menradus Mart. 21. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

piis haustum Christi exemplo respuit, jejunii sui etiam in morte tenax. Nudis pedibus flammis tamen insultavit, atque inde veluti pro rostris Christianos est adhortatus, oculos in æternitatem defigerent, non cruciatus breves. Jam vincula flammis soluta manus solverant, cùm FRUCTVOSVS, explicatis in crucem brachiis, cælum spectare, cælum precibus pulsare. Et ecce panditur hoc, & Martyres (spectantibus triumphum impiis) inter flammarum globos, ad cælum evolarunt, coronis omnes insignes, indeque rident admotas necquicquam à iudice machinas. Tam illustrem itaque rogam non aquâ sed mero diluendum duxerunt Christiani; sed distinguere laborantibus sacra ossa, è cælo FRUCTVOSVS adfuit, vetuitque terris disjungi, quos cælum junxisset. *Ex Surio.*

Laborare non vis, qui utrùm vivas usque ad senectam nescis: quare differs vocantem te, certus de mercede, incertus de die? vide ne fortè quod ille tibi daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo. Aug. serm. 59. de verb. Dom.

S. MENRADUS MART. • 21. Januarii.

FUIT MENRADVS Suevici sanguinis Comes. Tirocinium melioris militiae in Asceterio (Augiam Divitem dixere) posuit. Mox ex tirone miles, ex milite Dux castra in Eremum movit, semper inclytus victoriis ab orco reportatis; qui tam densâ quandoque acie casam oppugnavit militis nostri, ut suam diei cum sole lucem eriperet: sed solvit oppugnationem unicus bonus genius Custos MENRADO datus, qui cùm aliàs sæpè, tum precanti imprimis visendus adfuit. Ita vitam solam agenti in annum XXVI. latrones gemini su-

C

pervene-

pervenerunt, quos ipse, quamvis cogitati facinoris minimè ignarus, benignè & accepit & habuit. At illi secundum sacrificium & preces, hospitem suum necant ingratiſſimi, & ponè caput cereum, uti vivus petierat, statuunt. Is suapte vi accensus, & jam decreſcens, cùm stipulas lectuli comprehendisset, veritus sacrum caput attingere, sponte iterum extinctus memoratur. Corvi interim & ipsi gemini, ac diu è manu Divi diarium accipere soliti, pulchrè se & Patronum suum vindicarunt. Alas quippe, & unguis intentando in oculos, & voce, quâ poterant, parricidas clamitando, tandem prædones sunt infecuti, quoad in vincula tandem coniecti sunt, post paulum iterum pœnas corvis daturi. *Ex Surio.*

Si quando animus tuus accepta injuriæ dolore exarsit, fac tibi Christus Christiq; vulnera in mentem veniant, quantulaq; pars hæc sit eorum, quæ Dominus tuus perpeſſus est; hæc ratione animi dolorem velut aspersâ aquâ extinxeris. Greg. Naz. in sen.

S. A G N E S V. 21. Januarii.

A G N E S è primâ Romæ nobilitate vix dum annos nata tredecim, candidum pudoris florem sanguinis sui purpurâ pinxit. Nam Agno dudum nupta dum oblatum à filio Urbi Præfecti thalamû longè repudiat, vestibus spoliata in lustrum abripitur; sed mox ab Angelo bono, divinâ luce contra impuros armatur, & veste de cælo data ornatur. Irrumpentem exinde, de quo dixeramus, CHRISTI rivalem, ideoque à malo dæmone suffocatum vitâ iterum donat, & tamen ab Aspasio flammis addicitur, sed quas ad preces virginis cælestis ros illicò extinxit. Gladio denique trajicitur

nova